



NOVA ACTA
REGIÆ SOCIETATIS
SCIENTIARVM
VPSALIENSIS.

VOL. VII.



VPSALIÆ,

EXCUDER. ZEIPEL ET PALMBLAD, REG. AC. TYP. AN. MDCCCKV.

USNEÆ GENERIS

NOVÆ SPECIES

QUAS DESCRIPSIT ET ADUMBRAVIT

ERICUS ACHARIUS.

M. D. PROFESSOR ETC. EQU. REG. ORD. DE VASA.

In ordinando eas plantas e Lichenum Familia, quas ad Usneas retulit Clarissimus DILLENIUS, dispositionem Ejus hætenus amplexi sunt omnes fere Botanici. At acriori specierum, etiam a recentioribus & celeberrimis nostri avi Botanicis ad Usneas relatarum indagine, nec non earum, quæ nuperrime detectæ, mihi cognitæ sunt, melius addoctus, didici, non omnes omnino Usneæ Generi associandas esse, quin potius ad alia Genera referendas. Quo factò etiam Usneæ Generis characterem essentialem ac naturalem evidentius & accuratius proponere conatus sum, atque ex hoc Genere illas excludere Species, quæ, natura suffragante, alia Genera, sibi propria, intrare debuerunt.

Præter antea notas Species, Usneæ Generi proprias, plures novas enumeravi in Opere meo cui titulus: *Lichenographia Universalis*, Gottingæ nunc typis exscribendo, uti & characterem

Us.

Usneæ Generis dedi & iconibus insimul illustravi, atque differentias Specierum exaravi: Harum aliæ in Scriptis Auctorum omnino desiderantur; aliam (nempe *Usneam trichodeam*) pridem in *Methodo Lichenum* descripsi ac delineavi *), reliquas jam accuratius descriptas ac delineatas, inelytæ Regiæ Societati Scientiarum Upsaliæ florenti nunc oblaturus, opto atque rogo, ut, si dignas suis Actis judicaverit, iis inferantur.

USNEA *jamaicensis*. Tab. VII. Fig. 1.

U. thallo tereti scabro pallido, ramis patentissimis diffusis vage ramosis; apotheciis peltato-subfessilibus subtus lævibus appendiculatis proliferisque concoloribus, ambitu nudo reflexo.

Achar. Lichenogr. univers. T. 14. f. 4. scilicet quoad apothecia magnitudine aucta.

Habitat ad truncos arborum in Jamaica, ab amicissimo & Clarissimo D. Prof. & Equite OL. SWARTZ primum lecta & Cujus benevolentiae specimen hujus Lichenis debeo.

Description.

Thallus 3-4 uncialis, ad basin erectiusculus, teres; durus, rigidus punctisque elevatis creberrimis

A a fca-

*) Cfr. Sectio hujus opusculi 2:da p. 312. Tab. 8. f. 1.

scaber, albo-pallidus, per ætatem magis flavicundus, mox ramosus: *ramis* confimilibus ut plurimum dichotomis, subinde etiam absque ordine dispositis, porrectis & divaricatis patentissimis, per proliferationem ex apotheciorum centro inferiori iteratis vicibus prolongatis, attenuatis, passim ramulosis.

Apothecia in ramis sessilia copiosa, centro subtus affixa & ibidem appendiculata, 1-2, raro 3 lineas lata, concaviuscula s. in ambitu reflexa, supra & subtus lævia, concolora, (aliquando per ætatem supra obscuriora) minime, ut in congeneribus plerisque, ciliata, sed nuda, integerrima.

Obs. Thallo graciliori, colore, ramis magis diffusis, apotheciis supra concoloribus ab *Usnea melaxantha* (Meth. Lich. & Lichenogr. Univerf.) valde distincta. — Thallo crassiori rigido, scabro non fibrilloso & apotheciis concavis ab *U. trichodea* (ibm.) & a reliquis *Usneæ* Speciebus, apotheciis non ciliatis instructis, abunde differt.

USNEA *ceratina*. Tab. VII. Fig. 2.

U. thallo tereti, asperrimo, albicante fibrilloso, ramis patentibus, dichotomis, elongatis, dependentibus; apotheciis peltatis terminalibus proliferis

ris, concavis, scabris, concoloribus: ambitu radiofo, radiis longis, validis, curvatis.

Descriptio.

Thallus fere pedalis, validus, rigidus, asperrimus, teres, subinde ad axillas subangulosus, albus vel demum e pallido-cinerafcens, fibrillofus, ramosus: ramis dichotomis laxis, prostratis vel pendulis, verfus apices fenfim attenuatis magis elongatis, simplicibus & fibrillis rigidis patentiffimis, brevibus, fubfimplicibus, frequentius obfitis.

Apothecia terminalia vel per proliferationem ex eorum centro inferiori fefilia & hinc lateralia, quemadmodum in *U. jamaicenfis*, concava, fca-bridata, in ambitu dentata, dentibus radiofis paucis fed ad bafin crassis & validis, longis cornuumque ad inftar curvatis & attenuatis.

Obf. Exemplar hujus, ut puto, fpeciei, quod e Gallia quoque mifit Clariff. Amicus PERSOON, fed apotheciis deftitutum; cephalodiis rubellis inftitutum eft.

A reliquis Usneis rigiditate fuma & habitu proprio mox dignofcitur. Ad *U. floridam* & *plicatam* tamen proxime accedit, a quibus etiam differt thalli indole atque apotheciis minoribus aliter formatis eorumque radiis paucioribus fed validioribus, nec in ulla alia Usneæ nota fpecie ita comparatis.

A a 2

U.

U. scabrosam ut varietatem *U. ceratinae* in Lichenographia universalis quidem proposui, thallo humiliori caespitoso, vix fibrilloso, ramisque patentissimis distinctam, sed apothecia nulla in speciminibus e Galliae rupibus prope Fontainebleau & ex Hispania acceptis adfuerunt, unde de illa nihil certi pronunciare possum.

USNEA Cornicularia. Tab. VII. Fig. 3.

U. thallo tenui, filiformi, laevissimo, cartilagineo, albo complicato, ramosissimo, ramis flexuosis, intricatis: quibusdam hinc inde & apice passim nigricantibus.

Habitat ad arbores in Nova Zeelandia & ibidem a b. m. FORSTER lectum specimen e suo Museo ad me misit Amicissimus & Celeberrimus D. D. Profesf. & Eques C. P. THUNBERG.

D e s c r i p t i o.

Thallus 1-2 uncialis & vix 3-uncialem undecumque attingit longitudinem, effusus & vario modo complicatus, tenuis teres subcartilagineus, glaber, ramosissimus. vix fibrillosus, ramis ramulisque conformibus flexuosis, quibusdam per ætatem nigris & aliis apice fusco-nigricantibus.

Apothecia nulla in specimine viso observata sunt.

Obs.

Obs. Habitus omnino Corniculariæ, sed thallus minus rigidus nec fragilis. Substantia corticalis cartilaginea & minus crustacea, quam in Usneis reliquis, excepta *U. melaxantha*, superficie lævigata, fere contigua & rarissime transversaliter rupta. Filum centrale in thallo obvium (nota Usneis propria) demonstrat Usneæ speciem esse, quamvis apothecia in exemplari a me viso desiderabantur.

USNEA *gracilis*. Tab. VII. Fig. 3.

U. thallo tenui, filiformi, lævissimo, nitido, albopalescenti, pendulo, ramis raris, rectis, simplicibus, fibrillis lateralibus, rarissimis.

Habitat in arborum ramis Insulæ Borboniæ. Exemplar hujus Usneæ amicitia D. D. & Professoris WEBER atque b. m. MOHR acceptum refero.

Dēscriptio.

Thallus fere pedalis, tenuis, filiformis, lævissimus, subnitidus, parce ramosus, ramis confimilibus, simplicibus, dependentibus, fibrillis raris solitariis, simplicibus vel parum ramosis, patentissimis per longa intervalla adpersus.

Apothecia in specimine meo nulla adsunt.

Obs.

Obs. Accedit ad *U. plicatam* hæcce species, sed simplicitate, teneritudine, glabritie & colore valde distincta est.

USNEA *longissima*. Tab. VII. F. 5.

U. thallo tenui, filiformi, subcompresso subsimplici, longissimo, albisimo, pendulo, fibrilloso, fibrillis horizontalibus, approximatis, tortuosis, curvatis, simplicibus, tenerrimis, cinerascensibus.

Habitat ad arborum ramos in sylvis Lusatiæ. Hanc singularem speciem ibidem a Cl. MOSIG lectam mecum gratiosissime communicavit indefessus Lichenum indagator.

Description.

Thallus omnium longissimus, non raro 2-3 pedalis, plerumque simplicissimus, rarissimeque subdivisus: *lorulis* tenerrimis, linearibus plerumque compressis, scabriusculis, hispidis & subrugosis angulatisque, albisimis, uno vel altero ramo longissimo, simplici, rarius instructis, undique fibrillis creberrimis obsessis. *Fibrillæ* simplices, breves, capillares, horizontales s. patentissimæ, flexuosæ, retroflexæ, recurvæ, incurvæ, cinerascens.

Apothecia vel cephalodia adhuc detegere non licuit.

Obs. Similitas multa cum varietate *dasopoga Usneæ barbatae*, sed natura & conformatione rachidis ab hac admodum diversa manet & propriam constituendam speciem omnia svident.




Fig. 1

Fig. 4



Fig. 5



Fig. 2



Fig. 3